



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXXV. Ioannis Papae VIII. Egifredo, Svpponi, &c. Rogat vt  
bonorum Angelbergae imperatricis curam sustineant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

populum admonuisse commemorat: Si inimicus est aliqui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse; quibus videlicet salubribus exemplis, & canonicis etiam institutis edocti, ne simul pariter cum eis excommunicatus existas, ex apostolica tibi auctoritate iubemus, ut nullam deinceps cum Liutfredo, & Odebrico a nobis regulariter excommunicatis, vel in communi eloquio communionem habere presumas: si debitam in te non vis prouenire sententiam, <sup>\* ferit  
caue</sup> sane ut infra dies triginta post huius nostræ apostolicæ epistolæ denuntiationem, reddant ipsi omnia eidem dilecta filia nostræ Angelbergæ Augustæ, quæ violenter, ac fraudulenter auferre presumperunt.

## EPISTOLA CCXXXV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

EGIFREDO, SUPPONI, &amp;c.

Rogat ut bonorum Angelbergæ imperatricis curam sustineant.

*Nobilissimis viris ac dilectis filiis Egifredo, Supponi, Eripaldo,  
Berardo Bonifacii filio, & Cotephredo glorioſis  
comitibus.*

**S**CIENTES profecto ea, quæ sagacitati vestræ committimus, vos pro amore Dei, & sanctorum principum reverentia, nostraque dilectione, pio mentis affectu perficere: ideo pro parte dilectissimæ, ac spiritualis filia nostræ Angelbergæ Augustæ his apostolatus nostri literis gloriam vestram magnoperè deprecamur, ut omnium rerum eius vbiicumque consistentium curam & solicitudinem maximam habeatis: quatenus vestro prudenti consilio, ingentique solatio eius omnia salua & indiminuta, secura & defensa consistant; ita sane ut nulli easdem res inuadere, ac deprædare sinatis. Quia & nos eum, qui facere, vel fauere facienti presumperit, spirituali procul dubio gladio feriemus: quatenus ex hoc, & nos secundum collatum nobis diuinitus apostolicum magisterium, dignas, atque multiplices nobilitati vestræ gratias habeamus, benedicentes vobis omni benedictione spirituali in Christo Iesu Domino nostro, & vestræ fidei laudabilis rumor per ora fidelium

semper vbique resonet ad augmentum vestræ perpetuæ remunerationis. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXXXVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD TEVTMARVM ARCHIEPISCOPVM.

Miratur eum morari, & ad se non venire. monet vt statim veniat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Teutmaro archiepiscopo  
dilecto confratri nostro.*

**S**IC V T nobis dilectus ac spiritalis filius noster Carolo-mannus gloriosus rex suis regiis direxit apicibus, vt vos ad nostram apostolicam venire debuissetis præsentiam, vestrum quotidie præstolantes aduentum miramus cur tantum moremini: nos enim almitatis & prudentiæ vestræ fauore repleti, fraternitatem vestram pio cupimus iam contemplari intuitu. Vnde his nostris apostolicis literis vos monemus, & exhortamur, vt libenti ad nos animo properare omnimodis studeatis: quatenus vna vobiscum ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ utilia sunt prout necesse fuerit, pariter ordinare valeamus. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXXXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANTONIVM EPISCOPVM ET BERENGARIVM  
COMITEM.

Liutfredum comitem, quia monialem, quæ e monastério effugerat, suscepit, & bona Angelbergæ imperatricis diripuit, excommunicat, nisi statuto tempore satisfecerit. monet ne quisquam cum eo communicet.

*Reuerendissimo Antonio episcopo Brixieni, d' nobilissimo viro,  
dilectoque filio Berengario glorioso comiti.*

**Q**VIA dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex suis regalibus literis, & missorum nostrorum verbo, nostro præfusatui pio mentis affectu commisit, vt nos curam huius Italici regni haberemus, tam

*Concil. Tom. 24.*

Mm ij